

*144. Eugenii <IV> papae
litterae exsecutorie seu
mandatum cum filo canapis*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*144. Eugenii <IV> papae
litterae exsecutorie seu
mandatum cum filo canapis*

1439-09-18

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio abbati monasterii Sancti Angeli de Bosco, Potentine diocesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Desiderantes statum ecclesiarum omnium quarum nobis cura imminet generalis salubriter dirigi et augeri eaque pro divini cultus augmento ac personarum in ecclesiis ipsis degentium subventionem et comodo proinde facta esta, ut illibata persistent, libenter, cum a nobis petitur apostolico debemus munimine roborari. Sane pro parte dilectorum filiorum archipresbiteri et capituli ecclesie Sancti Michaelis Potentine nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim venerabilis frater noster Iacobus episcopus Potentinus, considerans quod fructus, redditus et proventus dicte ecclesie erant propter temporum sevicia(m) adeo diminuti, quod ex ipsis prefati archipresbiter et capitulum, inter quos decem in sacerdotio et nonnulli alii in inferioribus etiam sacris ordinibus constituti tunc existebant, rerum inopia premebantur, ac cupiens eis ut diurnis pariter et nocturnis officiis in dicta ecclesia intentiores esse possent eorum necessitatibus aliququaliter providere, quasdam terras Peschyia grande de la strata nuncupatas, in sua Potentina diocesi consistentes, clericis secularibus in titulum perpetui beneficii ecclesiastici assignari solitas et ad eius collationem pertinentes, tunc per obitum quondam Antonii de Lacupensuli illarum rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantes, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem ecclesie autoritate // (c. 101r) ordinaria inperpetuum donav(it), concess(it) et applicav(it) ita ut dicti archipresbiter et capitulum de illis quemadmodum de reliquis eiusdem ecclesie in mobilibus bonis

disponere et ordinare valerent, investiens nichilominus ipsos pro se et successoribus suis de terris seu beneficio antedictis prout in ipsius episcopi licteris eius sigillo munitis super inde confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte eorundem archipresbiteri et capituli asserentium se vigore donationis, concessionis et applicationis necnon investiture huiusmodi terras predictas assecutos fuisse illasque ex tunc tenuisse et possedisse ac de presenti tenere et possidere quodque illarum <terrarum> duodecim ac dicte ecclesie sexaginta florenorum auri, fructus, redditus et proventus secundum comunem extimationem valorem annum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum ut premissis et aliis in dictis licteris contentis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus de ipsis omnibus autoritate nostra te diligenter informes et si per informationem huiusmodi ita esse reperies, super quo tuam conscientiam oneramus, donationem, concessionem et applicationem, nec non investituram predictas ac omnia alia et singula circa hoc in prefatis licteris contenta et quecumque inde sequuta, eadem autoritate nostra, approbes et confirmes ac // (c. 101v) suppleas omnes defectus si qui forsan intervenerint in equidem non obstantibus constitutionibus apostolicis, nec non dicte ecclesie iuramento confirmante apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliqua super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel de aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales

vel generales apostolice Sedis vel legatorum eius
licteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem,
reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit
processum, quas quidem licteras et processus habitos per
easdem ad terras seu beneficium huiusmodi volumus non
extendi, sed nullum per hoc eis quo ad essequionem
beneficiorum aliorum preiudicium generari et quibusvis
privilegiis, indulgentiis et licteris apostolicis generalibus
vel specialibus quorumcumque tenorum existant per
que presentibus non expressa vel totaliter non inserta
effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri
et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in
nostris licteris mentio specialis, nos enim ex nunc irritum
decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis
autoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari.

1

2

3

4

Jacobus Squaquera, già monaco e poi abate del monastero
cistercense di Santa Maria dell'isola di Ponza, fu vescovo
di Potenza dal 25 febbraio 1429 al 1450, anno della sua
morte (Gams, *Series episcoporum*, p. 914; Eubel, *Hierarchia
catholica*, I, p. 407; II, p. 218). Stando a quanto riportato
nella *Istoria del Rendina*, nel 1429 consacrò la chiesa della
Ss. Trinità di Potenza «perché antichissima se ne era dispersa
la memoria, chi l'avesse consacrata la prima volta» (*Rendina,
Istoria della città di Potenza*, ediz. Abbondanza, p. 228; ediz.
Villani-Mariano-Caserta, p. 210).

B decentiores

B Leschya

B reppereris

6

5

6

7

Datum Florentie anno incarnationis dominice millesimo
quadrigentesimo tricesimo nono, quarto dec[im]o
kalendas octobris, pontificatus nostri anno nono.

B eisdem

B confirmacione

B assecucionem